

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3948

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1243

C O D I C E S

1244

II. fol. 125. p. 2. Brevis Nomenclator latino germanicus, jam in litera C. definens. v. g. *A&gio de werkende kraft in der materien. Armonia Zote Done. Adherere tho kleuen. Atramentum Zwerte. Benignus mynsam. Blaeta ene vleidermus. Coequalis medeghe lyk &c.*

III. fol. 130. p. 2. Narratio fabulosa inscripta: *De Morte Ade. Incipit: Post ade peccatum et eodem de paradyso expulso propter peccatum &c. Adam vitae pertaesus mittit filium Seth ad Cherub custodem Paradyfi orans, ut fibi oleum misericordiae a Deo promissum subpeditaretur. Seth mirandis multis in Paradyso conspectis refert tria grana pomi ex arbore vetita fibi ab Angelo data, sub lingua demortui Parentis ponenda. Consurgunt ex his virgulae tres, videlicet cedrina, cypressina et pinea, symbolum Triados. Has decerpit Moses prodigia earum ope patraturus. Atque hic Narratio in Cod. deficit, legitur vero productior in Evangelio dicto Nicodemi apud Fabric. Cod. Apocr. N. T. a pag. 278. in גֶּלֶן רְזִיא f. Revelatore Arcanor. cuius locum ex epistola Pauli Cbr. Hilscheri habes apud cit. Fabric. in Cod. Pseudep. V. T. p. 81. Item graece ex Cod. Bibl. Augustanae apud Gretserum L. I. de Cruce c. 4. Italice in Fioreto nouello del Testamento vecchio e nouo impresso Taruisii 1478. et alibi, unde latine conversam Job. de Pineda Libro V. de Rebus Salomonis c. 14. inse-*

ruit. Citant eam praeterea Nic. de Lira ad c. V. Jobannis, et Jac. de Voragine in Hist. Lombard. ad diem Inventionis S. Crucis. Multum ubique, ut fabellarum mos est, variat, eo tamen tendit, ut ex iis virgis crucem Christi tandem enatam disceremus.

IV. fol. 132. p. 2. Summaria Psalmorum, quae incipiunt: Consideratio processus humani generis quomodo quidam proficiunt ad beatitudinem. quidam vero deficiunt ab ipsa. Psalmus. Beatus vir qui non abiit &c. Desinunt cum Psalmo ultimo.

CCCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 284 XV. Folior. 214. f. per duas columnas currente calamo exaratus et olim Monasterii B. V. M. Scotorum Viennae continet I. praemitto Indice D. Thomae Aquinatis Quodlibeta XII. quorum Primum incipit: *Quesitum est de deo angelis et homine &c. Leguntur haec Quodlibeta, Scholasticis olim ex eo dicta, quod materiam propositam in quamlibet partem versarent, qua in re ingeniosis saepe nimium indulgebatur, in edit. Opp. Thomae Romae 1570. T. VIII. f. postquam jam Sec. XV. plus vice simplici typis excusa fuissent. Ad calcem adjacent quaedam ex L. II. et IV. Revelat. Birgittae.*

II. fol. 147. *Incipit quodlibet fratraris Richardi de media villa triplex. Initium primi: In mea generali disputatione de quolibet quendam*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3948

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1245

D O G M A T I C I .

1246

dam fuerunt quesita deo et quedam de cristo &c. Subnexus est Index, qui omnium trium Quæstiones exhibet. Sodalis hic Franciscanus Anglus de Middleton Sec. XIII. Academias Oxoniensem et Parisinam multum illustravit, ut tradunt Waddingus, Fabricius, Tannerus, alii, qui ejus Scripta recensent. Inter haec Quodlibeta nostra lucem videre Venetiis prelo Laz. Soardi 1509. f. quibuscum collatum exemplar nostrum integrum est; non enim Quodlibeta LXXX. sunt, ut habet Fabricius, qui Quæstiones dicere debebat, nam re ipsa Quodlibeta tria in 80. Quæstiones abeunt. Illud addo: in edit. Veneta pro de cristo ut supra, legi de Creaturis. Neutrum male; nam et de Christo et de Creaturis in I. Quodlibeto agitur.

III. fol. 213. Anonymi disputatio: *Vtrum futura sint realiter presentia eternitati.*

CCCXIX.

310 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 119. f. per duas columnas sat eleganter scriptus et coloribus distinctus hoc titulo miniato gaudet: *Incipit compendium legis christi. et canonis sacri super quartum sententiarum editum a Magistro Johanne de Bachone ordinis fratrum beate Marie de monte Carmeli. In quo per traellantur questiones Theologice defendantes per uetus et nouum testamentum fidem christianam. et*

canonice. tam veteris quam noui iuris pertinentes ad conscientiam. Et ut per omnia fides et mores caritatis proferantur. protestor me tenere quidquid sacrosancta Romana ecclesia credit. tenet. docet et predicit. et quecumque hic dicam. vel usque ad extremum vite existim. vel alibi dixerim sub quacunque forma verborum. correctioni et iudicio sacrosancte romane ecclesie suppono. et si quod absit aliqua ex hijs. non conuenirent fidei catholice aut bonis moribus illa omnia et singula reprobo et reuoco hic expresse. Opus totum divisum est in Quæstiones, quarum prima sic inchoat: *Circa prologum quarti sententiarum quero istam questio nem. Utrum ex scripturis veteris testamenti et sensibus earundem scripturarum certum sit christum iam venisse &c.* Ad calcem subtextitur geminus Index Quæstionum, et Rerum, et hic quidem ex ordine Alphabeti. Priori subscriptum est: *Explicit tabula questionum super quartum scripti de lege christi evangelica et de lege ecclesie canonica Fratris Jobannis Bacon ordinis beate Marie de Monte Carmeli. doctoris in Theologia.* Unde noto, Trithemium non ita errasse Autorem Baconem adpellando, ut vult Tannerus in Bibl. Brit. Hib. p. 59. qui eum Baconthorpium a pago patrio Norfolciae dicendum contendit. Annum ejus emortualem statuit idem Londini 1346. postquam in Academia Parisina titulo *Doctoris Resoluti* claruisset, et Ordini suo in *Anglia praefuisse*.